



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologiæ Polemicæ Universæ**

**Pichler, Vitus**

**Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXIII.**

§. 1. An Christus verè & realiter sit præsens in Evcharistia?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39374**

occurrunt 1. An Christus quoad Humanitatem suam verè, realiter, & substantialiter sit præsens in Eucharistia. 2. Quomodo sit præsens. 3. Quando incipiat esse præsens. 4. An Communio

sub utraque specie sit necessaria, & Divinitus præcepta. Annectitur & 5. An Missa sit Sacrificium propriè dictum, & Propitiatorium.

## §. I.

*An Christus verè, realiter, & substantialiter sit præsens in Eucharistia?*

2. Respondetur affirmativè contra Calvinistas, Zwinglianos &c. qui asserunt, Sacramentum Eucharistiae esse duntaxat signum & figuram Corporis Christi, atque Christum non nisi tropicè, figuratè, in signo, & per apprehensionem esse præsentem, consequenter manducari & sumi tantùm spiritualiter & per fidem. Responsio dicit 1. quod Christus verè sit præsens quoad humanitatem suam in Eucharistia, ut excludatur præsentia figurata tantùm. 2. Realiter, ut excludatur præsentia imaginaria tantùm. 3. Substantialiter, ut excludatur præsentia solius efficacia tantùm, & Prob. 1. ex promissione Christi, qui Joan. 6. v. 52. dicit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. v. 56. Caro enim mea verè est cibus &c.* 2. Ex institutione hujus Sacramenti; nam Christus in ultima Cœna hoc Sacramentum instituens expressis verbis clarissimè dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis traditur: Hic est Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Mat. 26. Luc. 22. 3. Denum ex usu hujus

Sacramenti; nam 1. Cor. 10. v. 16. habetur: *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* hoc est, nonne in pane consecrato communicatur nobis Corpus Domini? Præcipuè autem ex Institutione

Sic argumentor. Verba Christi, *hoc est Corpus meum &c.* debent accipi propriè, non figuratè & tropicè: ergo faciunt hunc sensum; hoc, quod sub his accidentibus panis porrigitur, est Corpus Christi: ergo præsens est Corpus Christi verè, realiter, & substantialiter, & non tantùm adest ejus figuratum, figura, aut virtus: nam verbum est non nisi tortè & impropriè sumitur pro significat. Primum Ant. constat partim ex recepto canone, quod verba Scripturæ, si possint sine absurdo, debeant accipi in sensu proprio, partim quia hæc verba Christi sunt verba Testatoris, Legislatoris, quæ debent esse clara, & in sensu proprio prolata, ne detur ansa litibus.

Confirmatur 1. Si hæc verba non debent accipi in sensu proprio, tunc ex Scriptura nihil amplius probari poterit

terit solidè; semper enim fas erit hereticis quoscunque textus ad sensum alienum, & tropicum detorquere v. g. hos: *Ego & Pater unum sumus; hic est Filius meus dilectus; ego sum Dominus Deus tuus* &c. Et sic summa fidei mysteria facillè convelli poterunt. Confirm. 2. Si Corpus Christi non verè, sed solùm figuratè, est in Evcharistia, tunc in Antiqua Lege comedentes Agnum Paschalem, Panes propositionis, non minùs comederunt Corpus Christi, ac nos in Nova Lege; quia comederunt figuram Corporis Christi. Arque sic nihil novi instituit Christus instituendo Evcharistiam: neque ista erit Sacramentum Novæ Legi proprium. Quod utrumque horrent Adversarij admittere.

Prob. ulteriùs ex perpetua Traditione & communi sensu Ecclesie; quippe à temporibus Apostolorum usque ad Berengarium (qui circa annum Christi 1050. publicè negavit veram & realem Christi præsentiam in Evcharistia, adeoque auctor exstitit Sacramentarium, licèt ipse post iteratos relapsus & palidonas Catholicæ obierit, damnatis à se suis erroribus) à Christianis ubique creditum & traditum est, Christi Corpus & Sanguinem verè esse præsentem in Evcharisticis Symbolis, ac hodièdum creditur à rectè & cum Antiqua ac Apostolica Ecclesia sentientibus. Est autem evidenter incredibile, Christum potuisse permittere, Ecclesiam suam totam tanto tempore mox à primordijs tam sanctè fuisse deceptam, ut frustillum panis adoraret pro Deo, & amaret pro Sponso suo, Quod sen-

ferint Patres Antiquissimi & Concedere potes ex Bellarm. Cansilio, Gualterio, Coccio &c. Nos paucorum percipiamus testimonia. S. Clemens D. Petri Discipulus & Successor in Const. Apost. l. 8. c. 14. ait: *Qui pretiosum Corpus & pretiosum Sanguinem JESU Christi participavimus, agamus gratias.* S. Dionys. Areop. Eccles. Hierarch. c. 3. & 4. habet similia. S. Irenæus l. 5. c. 2. adv. hæres. Valent. *Quando ergo & mixtus calix & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Evcharistia Sanguinis & Corporis Christi.* Theophylactus in c. 26. Mat. *Non enim dixit: hoc est figura, sed hoc est corpus meum, ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis. Panis quidem apparet, sed caro est.* S. Cyrillus Jerusalem. Catechesi Mystagog. 4. *Cum ipse (Christus) de pane pronuntiaverit: hoc est Corpus meum, quis audebit deinceps ambigere?* S. Damasc. l. 4. Orthod. fidei c. 14. *Nec panis & vinum Corporis (Christi) figura sunt (absit enim hoc) verum ipsæmet Domini Corpus Divinitate affectum.* Denique Patres Conc. Nicæni II. actione 6. to. 3. in fine. *Dixit: Accipite, edite, hoc est corpus meum &c. non autem dixit: sumite, edite imaginem corporis mei.*

Nihil jam dicam de varijs miraculis, imò & continuis, quæ facta sunt in contestationem veræ præsentie Christi, dum vel visibiliter Christus apparuit in hostia consecrata, vel agnitus etiam à brutis, vel hostiam convertit in speciem carnis &c. cujusmodi jam ultra 500. annos in nostra urbe asseveratur in

Ede

Ad S. Crucis DD. Canonicorum Regularium S. Augustini. Dicent fortassis Sacramentarij, etiam se miraculosè didicisse oppositum. Sic Carolstadius Lutheri in iudicio discipulus, & primus postea Dux modernorum Sacramentatorum dicit, sibi in somno apparuisse virum quemdam, à quo intellexerit, verba à Christo prolata habere hunc sensum: *Hoc, quod in mensa assidere cernitis, est corpus meum.* Sed insigniter propterea vapulavit à Luthero l. contra cœlestes Prophetas, qui Carolstadium dignis excepit modis: nec mirum; quia etiam innocentissimos quosque incredibili sua maledicentia lacerate non desistit, etiam principes viros, maximè Ecclesiasticos. Sic pariter Zwinglius, postquam narravit sibi de nocte aliquem Spiritum apparuisse, à quo didicerit, sensum verborum Consecrationis esse istum, *hoc SIGNIFICAT Corpus meum*, mox addidit: *Ator fuerit an albus* ( Spiritus ille) *nihil memini.* Suspiciantur Catholici, hunc spiritum fuisse dæmonem, idem putant Lutherani, qui propterea contra Calvinistas sic argumentantur: doctrina Sacramentatorum de Evcharistia est à dæmone: ergo non est vera. Sed retorquent argumentum Calvinista, & sic arguunt: doctrina Lutherianorum de abroganda Missa est à dæmone, qui eam Luthe- ro in nocturna disputatione suggestit & persuasit: ergo non est vera. Hic quadrat illud Poëtæ: *Va tibi tu, nigra dicebat cacabus olla.*

Ob. 1. In Scriptura sæpius adhibentur tropi & locutiones improprie, & R. P. Pichlen Theol. Polemisa,

quidem etiam circa Evcharistiam, dum dicitur: *Hic est calix Sanguinis mei,* ubi invenitur Synecdoche, & continens sumitur pro contento. *Ego sum panis,* dicit Christus, utique non verus panis; *ego sum vitis* &c. Item Agnus Paschalis, qui fuit figura Evcharistia, dicitur *Phase* seu *transitus* Exod. 12. hoc est, memoria transitus populi Israëliti. Circumcisio dicitur *paclum* inter Deum & Hominem Gen. 17. licet solummodo fuerit signum pacti: ergo etiam verba Consecrationis, *hoc est Corpus meum*, possunt sumi tropicè & improprie. R. Adhibentur quidem tropi, sed semper ex subjecta materia, vel ex circumstantijs, vel ex absurdo, quod sequeretur ex propria acceptione verborum, satis colligitur, Scripturam loqui tropicè, metaphoricè, synecdochicè &c. ut apparet in allatis exemplis. In primo Christus ipse satis indicavit, se tropicè loqui, dum subjunxit: *Bibite: qui pro vobis fundetur;* nam calix non bibitur, non funditur, sed liquor in calice contentus. Copulam *est* sumi pro *significat* inauditum est apud Logicos & Rhetores. In adductis instantijs, si ritè explicentur, *tò est* sumitur proprie; quia sensum habent: ego sum panis spiritualis & supernaturalis: ego sum vitis spiritualis propter fertilitatem mysticam: Agnus est memoria transitus: Circumcisio est signum pacti.

Dices: Scriptura subjungit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. Ergo in Evcharistia peragitur memoria Christi: sed cujus memoria agitur.

Cccc

tur.

eur, ille non est præsens. 2. Christus expressè dicit: *Me autem non semper habebitis.* Mat. 26. ergo non est præsens in Evcharistia; aliàs semper esset nobiscum. 3. Scriptura dicit, Christum ascendisse ad cælum, & ibi mansurum, usque dum venerit ad iudicandum universum mundum; ergo non est in terra sub hostijs consecratis; ergo verba Christi debent intelligi tropicè, figuratè, improprie. R. ad 1. N. subsumptum. Scriptura etiam nos iubet meminisse Dei: Deus tamen utique semper est nobis præsens. Ad 2. Christus loquitur de visibili sua præsentia; nam invisibilem clarè promittit: *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Mat. ult. Ad 3. N. Conf. quippe supernaturaliter possibilis est replicatio, seu positio ejusdem rei in diversis locis.

Urgebis: in Lege Mosaica Levit. 17. prohibetur comestio carnis & sanguinis: sed comederemus carnem & sanguinem, si Christus esset verè & realiter præsens. 2. *Caro non prodest quidquam* Joan. 6. ad quid ergo ponatur caro Christi realiter in Evcharistia? R. ad 1. hoc mandatum imprimis tantùm fuit de carne & sanguine in specie propria: Caro autem & Sanguis Christi non sumitur in specie propria, sed aliena, scilicet panis & vini. Deinde hoc mandatum utpote ceremoniale nunc est abrogatum. Ad 2. Caro dicitur inutilis 1. si est sine spiritu vivificante. 2. Si est cruda, cruenta, & manducata in specie propria atque carnaliter, seu concisa dentibus, quo modo manducatur caro vitulina.

ut sibi crasse imaginabantur Capharnaïta, quos Joan. 6. alloquitur Christus. 3. Si caro sumatur pro intelligentia carnali, prout distinguitur à spirituali; quo modo sæpe sumitur. Præterea *Panis* Evcharisticus, quem manducant Sacramentarij, in se aequè parùm prodest, atque *Caro*. Cur ergo manducant?

Ob. 2. Est impossibile, ut Christi Corpus sit in tam diversis locis, in quibus simul & semel consecratur hostia; quia corpus aliquod non potest esse simul in diversis locis; esset enim in hoc loco v. g. Augusta, & non esset, quia esset etiam alibi v. g. Montachij, quod implicat. R. Quamvis naturaliter nulla res possit esse in pluribus locis adæquatis simul, potest tamen supernaturaliter, ut docent Philosophi. Modus existendi in Evcharistia, & simul in diversissimis locis, est quidem admirabilis, vires totius naturæ creatæ transcendens; id tamen fieri virtute Divina, fides docet, & Christus ipse revelavit factis. Neque ex replicatione sequuntur contradictoria, Christum esse *hic*, & *non esse hic*, sed tantùm, *esse hic*, & *simul esse alibi*, quæ contradictoria non sunt, cum utraque propositio sit affirmativa.

Ob. 3. Absurdum est, Christum per os hominis descendere in stomachum, sæpe valde fœtidum: virum grandævum cum ossibus, manibus, & pedibus per collum demitti: Redemptorem à suis servis devorari, & sæpe ab indignis, imò indignissimè subinde tractari; item posse vorari à muribus, conculari pedibus, projici in cloacam, secari, cremari.

uari &c. quæ omnia admitti debent, si admittatur realis præsentia Christi in hostia consecrata. R. Absurdum neutiquam dici debet, quod ipse Christus fieri voluit, ex infinita charitate erga nos cupiens intimè nobiscum uniri, & nos quasi in se transformare. Quod sic voluerit, probant inconcussa argumenta nostra. Non abhorret à nostra vilitate, stomacho fetido &c. cum ipse nihil ampliùs pari possit in Eucharistia, tum quia ejus corpus jam est gloriosum, tum quia partes corporis sunt penetratæ, cujusmodi penetratio supernaturaliter possibilis est juxta Philosophiam. Qui indignè sumunt, vel

tractant Corpus Christi in Eucharistia, si id faciant ex malitia, peccant quidem gravissimè, Christus tamen inde nihil patitur. Si projiciatur in cloacas, tam parùm scèdatur Corpus Christi, quàm parùm scèdatur Divinitas, etiam in sordidissimis locis præsens, aut radins solis per cloacas transiens, sed solum species panis & vini scèdantur. Unde Corpus Christi nec ejicitur per secessum, ut spurcè obganniunt heretici. Sic pariter, si cremetur hostia, computrescat in Sacrario &c. ejusmodi non Corpus Christi afficiunt, sed species duntaxat Eucharisticas panis & vini, quibus subest Christus.

## §. II.

*Quomodo Christus sit præsens in Eucharistia? an cum pane? Ubi de Transsubstantiatione.*

6. Sciendum, Lutheranos mordicus tenere, quod substantia panis & vini post verba Consecrationis permaneat, atque Corpus Christi uniatur panis, & sanguis uniatur vino, unione quadam incomprehensibili, quam vocant Sacramentalem, quæ facit, ut Corpus Christi mediante pane, & cum pane manducetur, propterea dictos *Impanatores*. Econtra Catholici semper docuerunt, substantiam panis & vini converti in Corpus & Sanguinem Christi, ita ut substantiæ panis & vini non ampliùs subsint illis accidentibus, quibus ante consecrationem suberant, sed Corpus & Sanguis Christi sint sub accidentibus seu speciebus panis & vini. Quam

R. P. Picbler Theol. Polémica

conversionem substantialem Ecclesia, ut meliùs exprimeret, in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. c. 1. appellare cœpit *Transsubstantiationem*, serè sicut Concil. Nicænum excogitavit vocabulum *ὁμοούσιος* ad meliùs exprimendam æqualitatem Filij cum Patre, & Concil. Ephesinum vocem *θεοτόκος* ad exprimendam Maternitatem Dei; nam quoad rem ipsam hæc mysteria priùs jam fuerant credita in Ecclesia.

Dicendum. Post Consecrationem non ampliùs adest substantia panis & vini, sed Corpus & Sanguis Christi cum anima & Divinitate sub speciebus tantùm seu accidentibus panis & vini. Adeoque datur vera Transsubstantiatio.

CCCC 2

Proba.